

mus Póntifex ad univér-
sam exténdit Ecclésiám.

℞. Stola. [37]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangé-
lii secúndum Joánnem.

Lectio vij.

Cap. x.

IN illo témpore : Dixit
Jesus Pharisæis : Ego
sum pastor bonus. Bonus
pastor ánimam suam dat
pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis
Chrysóstomi.

Homília lix. in Joann.



Agnum quiddam,
dilectissimi, ma-
gnum, inquam, est
Ecclésiæ prælatio, et quæ
multa indiget sapiéntia et
fortitúdine, qualem Chri-
stus propósuit : ut ánimam
pro óvibus ponámus, et
nunquam illas deserámus :
ut lupo generóse resistá-
mus. Hæc enim inter pa-
stórem et mercenárium
est différentia. Alter pró-
pria, contéptis óvibus :
alter, sua contépta,
óvium semper salúti in-
vigilat. Pastóris ergo
exémpló demonstráto, de-
ceptóres duos méminit ;
furem mactántem et ra-
piéntem oves, et merce-
nárium permitténtem, ne-
que defendéntem com-
missas.

℞. Coróna áurea super
caput ejus, * Exprés-
sa signo sanctitátis, gló-
ria honóris, et opus fortitú-
dinis.

℞. Quóniam prævenisti
eum in benedictiónibus
dulcedinis, posuisti in cá-
pite ejus corónam de lápi-
de pretióso. — Exprés-
sa signo.

Lectio viij.

QUOD superiori témpore
Ezéchiél his verbis
insectátus est : Væ pastó-
ribus Israel : nonne pascé-
bant semetipsos ? nonne
greges pascúntur a pastó-
ribus ? Sed illi contrárium
faciébant, quod máximæ
malitiæ genus est, et plu-
rimórum causa malórum.
Idcirco inquit : Neque
quod abjéctum erat, re-
ducébant, neque quod
perierat quærébant : ne-
que confráctum alligá-
bant, neque infirmum con-
solidábant : quóniam se,
non gregem pascébant.
Idem et Paulus áliis ver-
bis significat : Omnes
quæ sua sunt quærunt,
non quæ Jesu Christi.

℞. Hic est vere Martyr,
qui pro Christi nómine
sánguinem suum fudit :
* Qui minas júdicum non
tímuit, nec terrénæ digni-
tátis glóriam quæsivit, sed

ad cœlestia regna pervé-
nit. ℞. Justum dedúxit
Dóminus per vias rectas,
et osténdit illi regnum
Dei. — Qui minas. Gló-
ria Patri. Qui minas.

Lectio ix.

VERUM ab utróque se
dissidére osténdit
Christus : ab illis quidem
qui in aliórum perniciem
veniunt, cum dicat, se pro-
pterea venisse, ut vitam
habérent, et abundántius
habérent : ab his autem,
qui oves a lupis rapi ne-
gligébant, dicéndo se pro-
pter eas ánimam pónere,
ne oves perírent. Nam
cum Judæi ipsum interi-
mere vellent, non pro-
pterea déstitit a doctrína,
neque credéntes tradidit,
sed péstitit, et pértulit
mortem : ideo frequénter
inquit : Ego sum pastor
bonus. Quæ cum nullo
niti testimónio viderén-
tur (quod enim póneret
ánimam suam non multo
post re demonstrátum
est : quod autem vitam
habérent, et abundántius
habérent, eventúrum erat
in futúro sæculo) álterum
ab áltero confirmat.

Te Deum laudámus. 19.
Vesperæ a Capitulo de
sequenti.

DIE XV. NOVEMBRIS.

S. Gertrudis

Virginis. Duplex.

Omnia de Comuni Vir-
ginum [122] præter seq.

Oratio.

DEus, qui in corde beá-
tæ Gertrúdis Virgini-
s jucúdam tibi mansiónem
præparásti : ipsius méri-
tis et intercessióne cordis
nostri máculas cleménter
abstérge, et ejúsdem trí-
bue gaudére consórtio. Per
Dóminum.

Commem. præced. Añã.

Qui vult venire post me,
ábneget semetipsam, et
tollat crucem suam, et se-
quátur me. ℞. Justus.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iij.



Ertrúdis Islébi in
Saxónia nóbili gé-
nere nata, quin-
quénis in monasterio Ro-
dardénsi, órdis sancti
Benedicti, virginitatem
suam, ac seipsam Jesu
Christo obtulit. Quo ex
tépore a mundánis rebus
prorsus aliéna, virtútique
sédulo inténta, cœlestis
vitæ genus instituit. Ad
humaniórum litterárum
notítiam, rerum diviná-
rum cognitióne adjún-

xit. Quarum meditatio-
ne vehementius ad virtutem
incensa, brevis christiana
perfectio adempta est.
De Christo ejusque vite
mysteriis saepe numero pro-
picio cum animi sensu loque-
batur, unamque Dei gloriam
cogitans, ad illam vota sua
omnia et actiones refere-
bat. Quamvis autem mul-
tis eximii naturae et gra-
tiae donis a Deo aucta
esset, ita tamen sibi ipsa
vilescerat, ut inter praeci-
pua divinae bonitatis
miracula, hoc item memo-
raret, quod se indignissi-
mam, misericorditer sus-
tineret.

✠. Propter veritatem, et
mansuetudinem, et justi-
tiam : * Et deducet te
mirabiliter dextera tua.
✠. Specie tua et pulchritu-
dine tua, intende, prospere
procede, et regna. — Et.

Lectio v.

TRigesimum aetatis an-
num agens, primum
Rodardensis monasterii,
ubi religiosam vitam est
professa, deinde Elpedia-
ni praeses electa, quadra-
ginta annorum spatio, ea
caritate, prudentia, et re-
gularis disciplinae studio
munus obivit, ut coenobium
religiosae perfectio-

nis domicilium videretur.
Utrobique vero, licet esset
omnium mater et magi-
stra, omnium tamen mi-
nima haberi volebat, ac
demissione pari mini-
stram se exhibebat. Quo
liberius Deo vacaret, vi-
giliis, abstinence, aliisque
cruciatibus corpus afflixit:
semperque sui similis,
morum innocentiam, man-
suetudinem, ac patientiam
praetulit singularem. Pro-
ximorum salutem omni ope
studuit, piaque curae co-
piosum fructum retulit.
Divini amoris vi frequen-
ter patiebatur ecstases,
altissimaeque contempla-
tionis, et divinae unionis
donum obtinuit.

✠. Dilexisti justitiam, et
odisti iniquitatem : * Pro-
pterea unxit te Deus, Deus
tuus oleo laetitiae. ✠. Pro-
pter veritatem, et man-
suetudinem, et justitiam.
— Propterea.

Lectio vi.

UT meritum acceptissi-
mae sibi sponsae Chri-
stus ostenderet, in corde
Gertrudis jucundam sibi
esse mansionem testatus
est. Deiparam Virginem
veluti matrem, et curatri-
cem a Jesu acceptam pie-
tate praecipua prosequen-

batur; ab eaque multa
accepit beneficia. Erga di-
vinissimum Eucharistiae
sacramentum et passio-
nem Domini tanto amore
cum grati animi sensu affi-
ciebatur, ut interdum
uberibus lacrymis perfun-
deretur. Justorum animas
piacularibus flammis ad-
dictas quotidianis subsi-
diis et precibus juvabat.
Multa ad fovendam
pietatem scripsit. Divina-
rum etiam revelationum,
et prophetiae dono claruit.
Denique flagrantissimo
Dei amore potius, quam
morbo languescens, anno
Domini millesimo ducen-
tesimo nonagesimo se-
cundo vita decessit. Mi-
raculis vivens, et post
mortem a Deo illustrata
est. ✠. Afferuntur. [133]

In iij. Nocturno, Homil.
Saepe vos, fratres. de Com-
muni. [136]

DIE XVII. NOVEMBRIS.

S. Gregorii Thau-
maturgi

Episc. et Conf. Semidupl.

Omnia de Comm. Conf.
Pont. [70] praeter seq.

Oratio.

DA quaesumus omni-
potens Deus : ut beati
Gregorii Confessoris tui

atque Pontificis veneran-
da sollemnitas, et devo-
tionem nobis augeat et
salutem. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.



Gregorius, Neocae-
sarae Ponti Epi-
scopus, sanctitate
doctrinaeque illustris, si-
gnis vero ac miraculis
multo illustrior, quorum
multitudine atque praes-
tantia Thaumaturgus
appellatus est, et sancti
Basili testimonio cum
Moyses, Prophetis, et Apo-
stolis comparatus; mon-
tem qui ecclesiae aedifi-
cationem impediabat, ora-
tione alio transtulit. Item
paludem, inter fratres
causam discordiarum, ex-
siccavit. Lycum fluvium
perniciose agros inun-
dantem, defixo ad ripam,
quo sustentabatur, bacu-
lo, qui statim virentem
crevit in arborem, coer-
cuit, ut postea ultra eum
terminum non effluerit.
✠. Inveni David servum
meum, oleo sancto meo
unxi eum : * Manus enim
mea auxiliabitur ei. ✠. Ni-
hil proficiet inimicus in
eo, et filius iniquitatis

non nocébit ei. — Manus enim.

Lectio v.

Sepíssime dæmones ex idolórum simulácris, atque ex hóminum corpóribus ejécit : multa-que ália mirábiliter effécit, quibus innumerábiles hómines traxit ad Jesu Christi fidem, cum étiam prophético spírítu futúra prædiceret. Qui migráturus e vita, cum quæsisset, quot in civitáte Neocæsariénsi réliqui essent infidèles, responsúmque esset, tantum esse septémdecim; Deo grátias agens, Tótidem, inquit, erant fideles, cum cepi episcopátum. Plura scripsit, quibus étiam, non solum miráculis, Dei Ecclesiám illustrávit.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. *V.* Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus. Sermo sancti Máximi Epíscopi. Ex Homilia lix. quæ est ij. de S. Eusebio.

Lectio vj.

Beáti patris Gregórii mérita jam in tuto pósita secúri magnificé-

nus : qui gubernáculum fidei viríliter tenens, ánchoram spei tranquilla jam in statióne compósuit, et plenam cœlestibus divitiis et ætérnis méribus navem optáto in lítore collocávit : qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigábiliter tenuit, donec ad victóriam perveniret. Quid enim fuit totus vitæ illius cursus, nisi unius cum vigili hoste conflictus?

R. Iste est. [78]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secundum Marcum.

Lectio vij. Cap. xj. c

In illo témpore : Respondens Jesus discipulis suis, ait illis : Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tóllere, et mittere in mare, et non hæsitáverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Et reliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri. Lib. 3. Comm. in Marc. cap. xj.

Solent Gentiles, qui contra Ecclesiám maledicta scripsére, improperáre nostris,

quod non habúerint plenam fidem Dei, quia nunquam montes transférre potúerint. Quibus respondéndum est, non ómnia scripta esse, quæ in Ecclesiá sunt gesta, sicut étiam de factis ipsius Christi et Dómini nostri Scriptúra testátur. Unde et hoc quoque fieri potúisset, ut mons ablátus de terra mitterétur in mare, si necessitas id fieri poposcisset. Quómodo légimus factum précibus beáti patris Gregórii Neocæsariæ Ponti Antístitis, viri méritis et virtútibus exímij, ut mons in terra tantum loco céderet, quantum incolæ civitátis opus habébant.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. *V.* Induit eum Dóminus lorícá fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viij.

CUM enim volens edificáre ecclesiám in loco apto, vidéret eum angustiórem esse quam res exigébat, eo quod ex una parte rupe maris, ex ália monte próximo coarctaretur; venit nocte ad locum, et genibus flexis admónuit

Dóminum promissiónis suæ, ut montem lóngius juxta fidem peténtis ageret. Et mane factó rever-sus invenit montem tantum spátii reliquísse structóribus ecclesiæ, quantum opus habúerant. Póterat ergo hic, póterat álius quis ejúsdem mériti vir, si opportunità exegisset, impetráre a Dómino mérito fidei, ut étiam mons tollerétur, et mitterétur in mare.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in má nibus vestris : * Et vos símiles hominibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. *V.* Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Verum quia montis nómine nonnúnquam diábolus significátur, videlicet propter supérbiam, qua se contra Deum érigit, et esse vult similis Altíssimo; mons ad præceptum eórum, qui fortes fide sunt, tóllitur de terra, et in mare projícitur, cum prædicántibus : verbum doctóribus sanctis, im-múndus spírítus ab eórum

corde repéllitur, qui ad vitam sunt præordináti, et in turbuléntis amarisque infidélium méntibus vesániam suæ tyránnidis exercére permíttitur.

Te Deum laudámus. 19.

Vesperæ de sequenti cum Commem. præced. Añã. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℞. Justum dedúxit.

DIE XVIII. NOVEMBRIS.

In Dedicatione Basilicarum SS. Petri et Pauli Apostolorum.

Duplex majus.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ [161] præter Lectiones.

In I. Nocturno.

Delibro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio j. Cap. xxj. c

ST erat structúra muri ejus ex lápide iáspide : ipsa vero civitas, aurum mundum símile vitro mundo. Et fundaménta muri civitátis omni lápide pretiósio ornáta. Fundaméntum primum, iáspis : secúndum, sapphírus : tértium, chalcedónius : quartum, smaragdus : quintum, sárdo-

nyx : sextum, sárdius : séptimum, chrysólithus : octávum, beryllus : nonum, topázus : décimum, chrysóprasus, undécimum, hyacínthus : duodécimum, amethystus.

℞. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus.

℞. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et vénient ad eam omnes Gentes. — Et in ore.

Lectio ij.

ET duódecim portæ, duódecim margarítæ sunt, per síngulas : et síngulæ portæ erant ex síngulis margarítis : et platéa civitátis aurum mundum, tamquam vitrum perlúcidum. Et templum non vidi in ea : Dóminus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam cláritas Dei illuminávit eam, et lucérna ejus est Agnus.

℞. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : * Et vénient ad eam omnes Gentes, et dicent, Glória tibi Dómine. ℞. Veniéntes

autem vénient cum exsultatióne, portátes manípulos suos. — Et.

Lectio iij.

ET ambulábunt Gentes in lúmine ejus : et reges terræ áfferent glóriam suam, et honórem in illam. Et portæ ejus non claudéntur per diem : nox enim non erit illic. Et áfferent glóriam et honórem Géntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatióne faciens, et mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

℞. Bénedic. [166]

In II. Nocturno.

Lectio iv.

SX locis sacris, quæ olim apud Christiános veneratióne habuérunt, illa celebrírrima et frequentíssima fuérunt, in quibus cóndita Sanctórum córpora, vel áliquod Mártirum vestígium aut monuméntum esset. In quorum número sanctórum locórum, in primis semper fuit insignis ea Vaticaní pars, quam sancti Petri confessióne appellábant. Nam eo Christiáni ex ómnibus orbis terræ pártibus tamquam ad fidei petram, et Ecclé-

siæ fundaméntum conveniéntes, locum princípis Apostolórum sepúlcro consecrátum, summa religióne ac pietáte venerábantur.

℞. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℞. Qui regis Israel inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. — Dimítte.

Lectio v.

Illuc Constantínus Magnus imperátor octavo die post susceptum baptismum venit, depositoque diadémate, et humi jacens, vim lacrymarum profúdit : mox sumpto ligóne ac bidénte terram éruit : indeque duódecim terræ cóphinis, honóris causa duódecim Apostolórum, ablátis, ac loco basilicæ princípis Apostolórum designáto, ecclésiám aedificávit. Quam sanctus Silvéster Papa décimo quarto Kaléndas Decémbri, eo modo, quo Lateranensem ecclésiám quinto Idus Novémbris consecráverat, dedicávit : at in ea altáre lapídeum chrismate delibútum eréxit ;

atque ex eo tempore sanc-
civit, ne deinceps altaria,
nisi ex lapide fierent. Idem
beatus Silvester basilicam
sancti Pauli Apostoli in
via Ostiensi ab eodem
Constantino imperatore
magnificentissime aedifi-
catam dedicavit. Quas
basilicas idem imperator
multis praediis attributis
locupletavit, ac muneri-
bus amplissimis exornavit.

R. O quam metuendus
est locus iste : * Vere non
est hic aliud, nisi domus
Dei, et porta caeli. *V.* Haec
est domus Domini firmiter
aedificata, bene fundata
est supra firmam petram.
— Vere non est.

Lectio vij.

Porro Vaticanam basi-
licam vetustate jam-
pridem collabentem, ac
propterea multorum Pon-
tificum pietate latius ac
magnificentius a funda-
mentis erectam, Urbanus
octavus hac eadem recur-
rente die anni millésimi
sexcentésimi vigésimi
sexti solémni ritu conse-
cravit. Basilicam vero
Ostiensem, quum dira in-
cendii vis anno millésimo
octingentésimo vigésimo
tértio pénitus consumpsis-

set, indefessa quatuor
Pontificum cura splendi-
dus quam antea erectam,
et ab interitu veluti vin-
dicatam, Pius nonus au-
spicatissimam nactus oc-
casionem qua dogma de
Immaculata beatae Mariae
Virginis Conceptione nu-
per ab ipso proclamatum,
ingentem Cardinalium et
Episcoporum numerum
ex dissitis etiam catholici
orbis regionibus Romam
attraxerat, die decima
Decembris anni millésimi
octingentésimi quinqu-
agésimi quarti, tanta cir-
cumdatus purpuratorum
Patrum et Antistitum
corona solémniter dedi-
cavit, ejusque celebritatis
memoriam hac die reco-
lendum decrevit.

R. Mane surgens. [170]

In iij. Nocturno, Homilia.

Si veraciter. ut in die iv.

infra Octav. Dedic. [181]

In ij. Vesp. fit Commem.
sequentis etc. ut infra.

DIE XIX. NOVEMBRIS.

S. Elisabeth

Viduae. Duplex.

Omnia de Comuni nec
Virg. nec Mart. [144] præ-
ter sequentia.

Añã. Simile est regnum
caelorum homini negotia-

törü querenti bonas mar-
garitas : inventa una pre-
tiosa, dedit omnia sua, et
comparavit eam.

V. Spécie tua.

Oratio.

Tuorum corda fidélium
Deus miserátor illú-
stra : et beatae Elisabeth
precibus gloriósus fac nos
prospera mundi despice-
re, et caelesti semper con-
solatione gaudere. Per Dó-
minum.

Deinde S. Pontiani Papæ
et Mart. Añã. Iste sanctus
pro lege Dei sui certavit
usque ad mortem, et a
verbis impiórum non tí-
muit : fundatus enim erat
supra firmam petram.

V. Glória et honóre.

Oratio.

Infirmítatem nostram
respice omnipotens
Deus : et quia pondus pró-
priae actionis gravat, beati
Pontiani Mátyris tui at-
que Pontificis intercessio
gloriósa nos próteget. Per
Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iij.

S Elisabeth, Andréa
regis Hungariae fi-
lia, ab infántia
Deum timere cepit : et

crescens aetate, crevit
etiam pietate. Ludovico
Lantgravio Hassiae et
Thuringiae in conjugem
copulata, non minori cura
quae Dei, quam quae viri
sui erant, exsequabatur.
Surgens enim nocturno
tempore, orationi diu in-
cumbebat; ac variis mise-
ricordiae officiis dedita,
viduis, pupillis, aegrotis,
egentibus sedulo inser-
viebat : gravique fame
urgente, domus suae fru-
menta liberaliter erogaba-
t. Leprósos hospitio sus-
cipiens, manus eorum et
pedes osculabatur. Cur-
randis autem et alendis
pauperibus insigne xeno-
dochium construxit.

R. Propter veritatem, et
mansuetudinem, et justí-
tiam : * Et deducet te
mirabiliter dextera tua.
V. Spécie tua et pulchri-
tudine tua, inténde, pró-
spere procéde, et regna.
— Et deducet.

Lectio v.

Defuncto conjugé, ut
Deo libéius serviret,
depositis omnibus saecu-
laris glóriæ indumentis,
vili túnica induta est, at-
que ordinem Pœnitentium
sancti Francisci ingressa,
patientiae et humilitatis

virtute máxime eníuit. Nam bonis ómnibus exúta, a própriis ædibus ejectione, ab ómnibus derelicta, contumelias, irrisiones, obrectationes invicto ánimo toleravit, ádeo ut summopere gauderet, se talia pro Deo pati. Ad ínfima quæque ministèria erga páuperes et ægrótos se abiciens, eis necessária procurabat, solis olèribus et legumínibus pro suo victu contenta.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea unxit.

Lectio ij.

CUM vero in his aliisque plurimis sanctis operibus vitam religiosissime transegisset, finis tandem suæ peregrinationis advénit, quem domesticis suis ante prædixit. Cumque defixis in cælum oculis divinæ contemplationi vacaret, a Deo mirabiliter recreata, et sacramentis refecta, obdormivit in Dómino. Statimque plurima ad ejus túmulum miracula patrata sunt. Quibus auditis, et rite

probatis, Gregorius nonus Sanctorum número eam ascripsit.

R. Fallax grátia. [153]

In iij. Nocturno, Homil. Cælorum regnum. de Comuni non Virginum. [155] Pro S. Pontiano Papa et Mart. Lectio ij.

MONTIÁnus Románus præfuit Ecclésiæ Alexandro imperatore: qui sanctum Pontificem propter christiánæ fidei confessionem, in Sardiniam ínsulam cum Hippolyto Presbytero relegavit. Ubi is pro Christi fide multis calamitatibus afflictus, décimo tertio Kalendarum Decémbris e vita migravit. Ejus corpus Fabiano Pontifice, cum clero Romam delatum, in cœmeterio Callisti via Appia sepelitur. Sedit annos quatuor, menses quatuor, dies viginti quinque. Fecit ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros sex, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca sex.

Te Deum laudamus. 19.

In Laud. fit Commem. simpl. Añã. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. **V.** Justus ut palma.

Vesperæ a Capitulo de sequenti.

DIE XX. NOVEMBRIS.

S. Felicis Valesii

Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

DEus, qui beatum Felicem Confessorem tuum ex eremo ad munus redimendi captivos cœlitus vocare dignatus es: præsta quæsumus, ut per gratiam tuam ex peccatorum nostrorum captivitate, ejus intercessione liberati, ad cœlestem patriam perducamur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemor. præcedentis, Añã. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad páuperem, et panem otiosa non comedit. **V.** Diffusa.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iij.

FELIX, Hugo antea dictus, ex regali Valesiorum familia ortus in Gallia, ab in-eunte ætate non levía dedit futuræ sanctitatis indicia, præsertim miseri-

córdiæ erga páuperes: nam adhuc infántulus manu propria, ac si grandior esset, et judicii maturitate polleret, nummos egénis distribuit. Jam grandiusculus, solébat ex appòsitis in mensa dápiibus ad ipsos mittere, et ferme eo, quod sapidiuserat, obsónio páuperculos páueros recreabat. Adolésceus non semel vèstibus se exspoliavit, ut inopes cooperiret. Ab avúnculo Theobáldo, Xamphánæ et Blésii cómite, vitam reo mortis impetravit, prædicens, hunc infámem háctenus sicárium, mox sanctíssimis prædicitum móribus evasúrum: verídicum testimónium monstrávit événtus.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio ii.

POST exactam laudabiliter adolescèntiam, cœpit ex cœlestis contemplationis stúdio solitúdinem cogitare; prius tamen voluit sacris initiari, ut

omnem regni, a cujus successione jure legis Sálicæ non longe distabat, spem sibi præcideret. Sacerdos factus, et prima Missa devotissime celebrata, non multo post in eremum secessit, ubi summa abstinentia victitans, cœlestium charismatum abundantia pascebatur. Ibi cum sancto Joanne de Matha Parisiensi doctore, a quo ex divina inspiratione quæsitus et inventus, per aliquot annos sanctissime vixit, donec ambo per Angelum a Deo admóniti Romam petierunt, specialem a summo Pontifice vivendi regulam impetraturi. Facta igitur Innocentio Papæ tertio inter Missarum solèmnia revelatione religionis et instituti de redimendis captivis, ab ipso Pontifice, simul cum socio, candidis vestibus bicolóri cruce signatis, induitur, ad eam formam qua Angelus indutus apparuit: et insuper voluit Pontifex, ut nova religio juxta triplicem colorem, quo habitus constat, sanctissimæ Trinitatis titulo decoraretur.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: sto-

lam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. *R.* Induit eum Dominus lorícam fidei, et ornavit eum. — Et ad portas.

Tertio vj.

Regula propria ex summi Pontificis Innocentii confirmatione accepta, in diocesi Meldensi apud locum, qui Cervus Frigidus dicitur, primum ordinis paulo ante a se et socio extructum cœnóbium ampliavit, ubi religiosam observantiam, et redemptionis institutum mirifice coluit, ac inde per alumnos in alias provincias diligentissime propagavit. Illustrem hic a beata Virgine matre favorem accepit: dormientibus siquidem cunctis fratribus, et ad matutinas preces in per vigilio Nativitatis Deiparæ média nocte recitandas, Deo sic disponente, non surgentibus, Felix de more vigilans, et horas præveniens, chorum ingressus, reperit beatam Virginem in medio chori habitu cruce ordinis insignito indutam, ac cœlitibus similiter indutis sociatam. Quibus permixtus Felix, præcinente Deipara,

laudes divinas concinuit, ritèque persolvit. Et quasi jam a terrèstri ad cœlestem chorum evocaretur, instantis mortis ab Angeli cœrtior factus, filios ad caritatem erga pàuperes et captivos adhortans, animam Deo reddidit, ætate ac méritis consummatus,

annopost Christum natum ducentésimo duodécimo supra millésimum, sub eodem Pontifice Innocentio tertio.

R. Iste homo. [105]

In *ijj.* Nocturno, Homil. Pusillum gregem, de Comuni *ij.* loco. [115]

Vesperæ de sequenti.

